DE

AVGVSTI SCHOLA PALATINA LITTERIS MORIBVSQVE DICATA

CVM AD

SOLEMNIA

GYMNASII ELBINGENSIS

AESTIVA

D. VI. SEPT. MDCCLIX

HORIS A IX. MATVT. IN ACROAT. MAXIMO

CELEBRANDA

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI

VRBIS PROCERES

OMNESQVE

MVSARVM FAVTORES

AC PATRONI

EA QVA DECET REVERENTIA ET HVMANITATE

INVITARENTVR

NONNVLLA DISSERIT

IOANNES LANGIVS

RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE

TYPIS NOHRMANNIANIS.

Caeſarum duodecim vitas, a C. Suetonio, candidiſſimo vetuſtatis Romanae ſcriptore, relictas in ſcholis privatis ante aliquot tempus percurrentibus nobis, mirum quantum arridebant ſequentia auctoris verba: *Auguſtus plurimorum liberos & educavit ſimul cum ſuis & inſtituit;* [a] ac paulo poſt: *nepotes & litteras, & natare, aliaque rudimenta per ſe plerumque docuit, ac nihil aeque laboravit, quam ut imitarentur chirographum ſuum.* [b] Quibus ſub examen paululum vocatis, animum ſtatim ſubit cogitatio, nihil rebus litterariis glorioſius, nihil aequius, digniusque eſſe nihil, quam in primo Romanorum Imperatore Scholaſticum, & in ipſius ſede imperatoria ſcholam inveniſſe palatinam. Quo enim graviora illorum, quos DEVS ad gubernacula regnorum admovit, ſunt impedimenta, quo minus, purpura & diademate fulgentes, litterarum ac litteratorum curam agere poſſint: eo majori artibus liberalibus cedit honori, ſi ſummi quoque Principes infra dignitatem ſuam minime eſſe ſtatuunt, easdem non alere modo, ſed omne etiam ſtudium, omneque ingenium ad ipſarum culturam ac gloriam conferre.

Hinc ex eruditis multi, qui in hiſtoriarum cognitione plurimum valuerunt, praeſtantiſſima Imperatorum, Regum, Principumque in lucem poſuerunt exempla, qui ſcientiarum laude incluti, rei non publicae magis quam litterariae curam geſſerunt. Venerandus ille Goetzius Principes & Graece & Hebraice doctos in peculiari nobiscum communicavit libello: ſicuti idem pariter ac Cel. Loeſcherus eos ex Principibus ſiſtunt, qui S. Scripturae ſtudio adeo inclaruerunt, ut Theologorum & Concionatorum nomine ipſos ornare non dubitaverint. Taceo Principes in ſcientia Hiſtorica, Medica, Mathematica, ut & in Oratoria, Poeſi

a) *in Oct. Caeſ. Aug. c. XLIIX.* b) *l. c. c. LXIV.*

ac Muſica verſatiſſimos, quos laudatus modo Loeſcherus, Morhoſius, Reyherus, Beckerus, Blumius, aliique in exercitationibus ſcriptisque ſuis lectu digniſſimis collegerunt. c) Quibus facili negotio non ex vetuſtiori modo, ſed recentiori potius Hiſtoria addi quoque poſſent Principes Philoſophi ac Jurisperiti. Aſt Suetonii verborum in praeſentia memor, non dubito, Auguſtum, magnum illum orbis Romani Imperatorem, eodem jure, quo idem auctor d) Caligulam nominavit Cantorem, ſalutare Scholaſticum, ſcholaeque palatinae auctorem ac modetatorem.

Auguſtum, Julii Caeſaris ex teſtamento haeredem & primum monarchiae Romanae Dominum, non virtute modo ſagata, ſed & togata inclaruiſſe, atque eruditionis fama aeque ac juſtitiae adminiſtratione nominis Latini honorem auxiſſe, Suetonius, Vell. Paterculus, Tacitus, aliique in apricum poſuerunt. e) His enim teſtibus ille ſtudia liberalia a pueris cupide ac laborioſiſſime exercuit. Et dum in Latinis ac Graecis Apollodoro Pergameno praeceptore jam ſene uſus erat: Rhetoricis, Philoſophicis, arteque Poëtica adeo delectatus fuit, ut & pacis & belli tempore in illis otium ſuum, ſuamque inveniret animi voluptatem. Quanquam hinc belli Mutinenſis moles magna fuit: liberalium tamen ſtudiorum cupidus, etiam medio illius ardore quotidie aliquid legit, ſcripſit, declamavit. Inde praeſtantes ingenii ipſius provenerunt foetus: liber hexametro verſu elaboratus, Sicilia appellitatus; Tragoedia, Ajax dicta; epigrammata, balnei tempore fere elaborata, & quae ſunt reliqua. Tanta itaque Auguſtus ſcientiarum dulcedine captus, tantaque & loquendi & ſcribendi facultate, qua Maecenatis ſtylum maxime imitabatur, praeditus, in aula etiam ſedeque ſua artes liberales coli, quin imo ſcholam, docentium & diſcentium conventum, aperiri voluit. Quo in ludo alios inter & Verrius Flaccus, celebris ille Grammaticus, paedagogi munere functus

c) conf. *a Seelen Princeps Muſicus in not. ad.* §. 2. *in Miſcell.* P. II. p. 349. 350.

d) in *vita Calig.* c. XLV.

e) vid. die allgem. Welthiſtorie, P. XI & XII.

ctus est, *quem* Suetonius noster [f] *ab Augusto nepotibus suis praeceptorem electum, transiisse* scribit *in palatium cum tota schola, verum ut ne quem amplius posthaec discipulum*, invito sc. Imperatore, *reciperet.* Instituebantur ergo in eadem cum Augusti familia plurimorum civium liberi, in quibus etiam, ut ex Josephi verbis [g] conjicere licet, Agrippas Aristobulo Herodis filio natus, fuisse creditur. 136

Magnam hinc Augustus quidem adeptus est laudem, quod scholam, artium & scientiarum officinam, in palatio suo instituerit; sed in majorem rapimur admirationem, legentes, ipsum Romanorum Imperatorem modo nominatum, Praeceptoris etiam spartam saepe obiisse. Quid enim illa Suetonii verba: *Augustus nepotes & litteras & natare*, vel si mavis, notare [h] sc. litteras i. e. scribere, *aliaque rudimenta per se plerumque docuit &c.* aliud indicant, quam eum, non obstante dignitate imperatoria, vices Scholastici ac Ludimagistri saepe implevisse, & nepotes aliosque scholae palatinae cives litteras, artem scribendi, aliaque rudimenta docuisse, [i] ita ut non nudus saltem laborum scholasticorum testis & spectator existeret, sed illos insimul consilio, doctrina & institutione sua regeret, formaret, augeret. Et hunc Augusti ludum, in favorem studiorum liberalium institutum, scholam vocare palatinam, quid vetat.

Me quidem non fugit, scholas palatinas apud scriptores medii aevi varias denotare militum cohortes, ad palatii & Principum custodiam destinatas, quales hodienum adhuc in Gallia cohortes sunt praetoriae, vulgo die königlichen Haus-Trouppen. Nec ignotum est mihi, has singulas in orbem quendam per diversas

 scho-

f) in *libro de illustribus Grammaticis. c. XVII.* p. m. 592.

g) *quae L. XVIII. c.* 8. *in* vernacula ita se habent: Kurz vor König Herodis Tod war Agrippa zu Rom, und kam durch stäte Beywohnung mit Druso, des Kaysers Tyberii Sohn, in gute Kundschaft.

h) conf. *Casaub. in comm. ad Oct. Aug. c. LXIV.*

i) Hinc *auctores* der allgem. Welthistorie, *P. XII. in not. F.* ad §. 196. p. 202. ita scribunt: Seinen Enkeln brachte er selbst die Anfangsgründe der Gelehrsamkeit bey rc.

ſcholas excubuiſſe. k) Interim cuivis quoque conſtare credo, omne illud, quod ad palatium Imperatorum Regumque refertur, nominari palatinum. l) Balneae hinc apud Ciceronem, m) & ludi apud Suetonium n) dicuntur palatini, quia intra palatium inveniebantur Imperatoris. Et ſicuti atrienſis palatinus apud Suetonium o) ille eſt, qui atria, munditiem & ornamenta eorum in palatio curat: ita Horatius p) per

ſcripta, palatinus quaecunque recepit Apollo,

ea indicat, quae in Bibliotheca, quam in Apollinis aede in palatio Auguſtus inſtituit, inveniebantur. His ex cauſis eum quoque in palatio locum, in quo & Auguſtus & ab ipſo electi magiſtri artes docebant, ſtudiaque liberalia, ſcholam vocare licet palatinam. Id quod nec ab aliorum Principum conſuetudine, in aulis eorum recepta, alienum eſſe conſtat. Alexandro enim M. etiam in caſtris Principes Macedonum ſuos tradidere liberos, ut ex illis aliquando magnorum Praefectorum ſeminarium, imo Ducum incrementa & rudimenta caperet. q) Et quem latet, quae hodienum adhuc in Principum aulis puerorum nobilium, vulgo der Pagen habeatur ratio, quo illi, in ſpem regni atque patriae educati, non virtute modo & fortitudine, ſed conſilio quoque Regis Principisque ſui partes aliquando tueri poſſint, omnibus ſtudiorum liberalium artibus exculti.

Adhaec Auguſtus in educandis ſuis, aliisque Romanorum liberis non doctrinae ſaltem, illuſtri puerorum cohorte dignae, ſed diſciplinae quoque curam adhiberi voluit: imo ipſemet hanc ſcholaſticam cum domeſtica, eademque paterna quam ſtudioſiſſime

k) vid. *Fresne Gloſſ. med. & inf. Latin. T. II.* p. 737.

l) conf. *Gesneri Theſ. lingu. Lat.* ad *voc. Palatinus. T. III.* 650.

m) pro *Roſc. Amer.* c. XIIX.

n) in *Aug.* c. LVI. add. not. *Caſaub.*

o) in *Calig.* c. LVII.

p) *epiſt. I.* 3. 17.

q) vid. *Curt.* L. VIII. c. VI. §. 2 &c. L. V. c. I. §. 42 &c.

me conjunxit. Pro ea enim, quae in Augusto fuit, prudentia, quam apprime ipse cognovit Imperator, a disciplinae administratione omnem posteritatis pendere fortunam, remque scholasticam tantum capere detrimenti, quantum illa negligitur. "Hinc "delicta suorum duntaxat modica perpessus, r) illos, qui probris "contaminati erant, non verbis modo corripuit, sed relegavit "etiam. s) Et ne absente se, vel dulcedine, vel licentia peccandi traherentur, Augustus "neque coenavit una, nisi ut in imo "lecto adsiderent: neque iter fecit, nisi ut vehiculo anteirent, "aut circa adequitarent. t)

Quae inde scholae Augusti palatinae facies, quae gloria, quaeque commendatio! In hac Imperator tantum disciplinae, quantum doctrinae tribuit, & nepotes suos aliosque in illa non minus bene moratos & virtute praeditos, quam eruditos & doctrina pollentes educari voluit. Non ergo paedantismum, non trivium sapit, sed imperatorium potius, regium & egregium est, ad Superiorum voluntatem cum studia tum mores suos componere, & in aequissima disciplinae custodia ac observantia certissima artium & studiorum liberalium quaerere subsidia, ornamenta, augmenta.

Id quod utinam juventus scholastica, falsissimo saepe libertatis nomine lenocinans, saeculo hoc luxuriante probe pensitaret! Vtinam disciplinae legem ac sapientiae jugum, ingratum quidem recens subeuntibus, jucundum vero adsuetis esse, crederet! Vtinam publica in moderatum piae disciplinae usum deponeret odia, hancque non pro saevitia ac servitute, sed pro honestatis praesidiis, famae patrociniis & studiorum haberet adjumentis! Honos enim, qui legibus exhibetur etiam scholasticis, multum valet ad peccandi pudorem, & effrenatam, qua juvenilis aetas plerumque effertur, maximopere inhibet licentiam.

Merito

r) in *Suet.* c. LXV] *in*
s) l. c. c. LXV.
t) l. c. c. LXIV.

Merito hinc aeternam Numinis altiſſimi praedicamus gratiam, faventis adhuc Gymnaſii Elbingenſis incolumnitati, & ſanctae, cujus ſedem eſſe voluit, doctrinae juxta ac diſciplinae. Pro immenſo enim in nos favore haec DEVS reddidit tempora, in quibus leges Seminarii Civitatis praelegi & claſſes Scholae noſtrae more conſueto luſtrari ſolent. Faveat modo ſummus rerum humanarum Arbiter anniverſario huic ac ſolemni luſtrationis muneri! Faveat juventuti ſcholaſticae, quae ſub PRAECLARISSIMI DOCTISSIMIQVE DN. IO. DAN. HOFFMANNI, GYMN. CONRECT. AC PROF. PVBL. FIDELISSIMI auſpiciis *de vi conſuetudinis ac ſaeculi in republica litteraria* ſive **von dem herrſchenden Geſchmack unter den Gelehrten** verba eſt factura! Faveat denique & mihi, brevem *de adiaphoris adiaphororum naturam nomenque exuentibus* oratiunculam actui huic praemiſſuro!

Vnum ſupereſt, quo ad feſtivitatis hujus celebrationem maxime opus eſſe videtur, videlicet, honorifica NVTRITORVM AC PATRONORVM praeſentia, ut legum auctoritas confirmetur, & juventus non modo ad diſciplinae praeſcriptum in recto vitae propoſito ſe formare diſcat, ſed intelligat etiam, quam care ipſis MAECENATIBVS ſint leges, & quam ſancte illas a Civibus Gymnaſii haberi velint. Proinde VOS, ILLVSTRIS, MAGNIFICI, GENEROSI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMIQVE DN. DN. BVRGGRABIE REGIE, PRAESES, PRAECONSVLES, CONSVLES, MAECENATES AC EVERGETAE OMNI OBSERVANTIAE CVLTV PROSEQVENDI: VOS etiam, CVIVSVIS ORDINIS, DIGNITATIS ET PROFESSIONIS MVSARVM FAVTORES LONGE AESTVMATISSIMI, omni, quo decet, ſtudio, omnique officioſitate rogamus & obteſtamur, ut otiis noſtris litterariis favere, & quod faveatis, craſtina, DEO dante! luce praeſentes declarare velitis.

Haec tandem omnium votorum ſumma eſt, ut Gymnaſium patrium, perpetua pietatis ſedes, bonarum artium officina, & Reipublicae Eccleſiaeque commodiſſimum ſemper maneat, vigeat, floreatque Seminarium! P. P. Elbingae. D. V. Sept. MDCCLIX.